

## Antiphanis Πρόγονοι, fr. 195 K.

τὸν τρόπον μὲν ὁσθά μου  
 ὅτι τῦφος οὐκ ἔνεστιν, ἀλλὰ τοῖς φίλοις  
 τοιουτοσί τις εἰμι, τύπτεσθαι μύθρος,  
 τύπτειν κεραυνός, ἔκτυφλοῦν τιν' ἀστραπή,  
 φέρειν τιν' ἄρας ἄνεμος, ἀποπνίξαι βρόχος,  
 θύρας μοχλεύειν σεισμός, εἰσπηδᾶν ἄκρις,  
 δεῖπνεῖν ἄκλιτος μυτα, μὴ 'ξελθεῖν φρέαρ,  
 ἄγγχειν, φονεύειν, μαρτυρεῖν . . . .

Gloriose enumerat Sceptus parasitus promptas ad amicos adiuvandos facultates suas, quarum maxima pars facile intellegi potest, verba μὴ 'ξελθεῖν φρέαρ l. 7 viros doctos multum sollicitaverunt. Haec interpretatus est Meineke, 'quemadmodum ei qui in puteum incidit non datur exitus, ita nec ego, etiam si iussus fuero, ex convivio abeo. Proprie igitur non puteo se comparare debebat, sed homini qui in puteum incidit', sed nempe quia ipsi hoc minus placebat, φρέαρ fortasse corruptum esse adiecit. Deinde aut ἔξελθεῖν aut φρέαρ corruptum censuit Kock, proposuit Blaydes μὴ 'πιλιπεῖν, quam coniecturam corroborare conatus Herwerden, cl. Dem. xiv, 30 τὰ φρέατ' ἐπιλείπειν πέφυκεν, contra perdidit: putei enim qui deficiunt parasito assiduitatem suam illustranti omnino inutiles. Qui fragmenta nuper edidit Edmonds, vol. ii, pp. 262—3, textu nihil mutato verba ista significare ratus est puteum ad te domi retinendum (Anglice 'a well to bottle you'), quod ego vix comprobaverim, quoniam cetera illa infinitiva ad acta ipsius parasi, non inimicorum eius respiciunt.

Propius vero mihi videtur esse, cum verba δεῖπνεῖν ἄκλιτος μυτα de cena agant, φρέαρ istud ad vini capacitatem spectare, id quod arbitratus est Conomis, *Stobaeana*, Ἀθηνᾶ 1957, pp. 329—30. Sed Conomis μὴ 'ξεμεῖν proposuit, equidem μὴ 'ξελθεῖν retinendum censo. Significat enim ἔξελθεῖν foras exire, sc. ad naturae obtemperandum, ad sese vini onere levandum, sermone urbano et familiari, non Aristophanico quodam expressum. Sententia igitur est fere haec, 'quantum ad non foras e convivio exeundum pertinet, capax tamquam puteus', quasi eiusmodi excursus convivam non solum a poculis abstraherent, verum etiam corporis imbecillitatis arguerent.